



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Ex mente Pontificum, & Casarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

honestas est tantum probabilior, habeo necessitatem formandi iudicium directum subjective probabilius de honestate. Immo sicut cum honestas est moraliter certa, satis per nos est alterutrum iudicium, nempe vel solum reflexum evidens de objectiva certitudine morali honestatis, vel solum dire-

ctum subjective moraliter certum de honestate: ita cum honestas est tantum probabilior, satis erit alterutrum iudicium, vel solum directum subjective probabilius de honestate, vel solum reflexum evidens de objectiva probabilioritate honestatis.

DISPUTATIO XXII.

De iudicij evidentis reflexi supra objectivam Probabilitatem aequalem, aut minorem, veritatis opinionis sufficientiâ, suspensio omni iudicio directo subjective probabili de veritate opinionis.

PROOEMIUM.

SUMMARIUM.

Quid dixerim? n. 1.

DD. citandi sunt pro me, n. 2.

Nulla est peculiaris difficultas de sufficientiâ solius reflexi supra minorem probabilitatem objectivam, quæ non oriatur a licito usu opinionis minus probabilis, n. 3.

N. 1.  *IXI d. 21. sect. 2. §. 1. conclus. 3.* quod ne quis formaliter peccet, & ut quis formaliter honeste operetur, satis sit reflexum certum de æquali, immò de minori, ut dixi *conclus. 4.* iudicium. Hoc mihi in præfenti probandum.

N. 2. Ne autem Doctorum verba ex industria truncasse videar, fateor plura quæ ex DD. allaturus sum, probare satis saltem esse iudicium de probabilioritate, quod *disp. antec.* probavi. At simul fateor, quod plurimi textus citandi stent etiam pro iudicio de æquali, immò de minori probabilitate: hoc autem eo magis est verum, quo magis manifestè *TT.* citandi excludunt tamquam necessarium ipsum iudicium directum, sive deinde solum reflexum sit de objectiva maiori, sive de æquali, sive de minori probabilitate: etenim per hoc quod excludant directum, opponuntur Neotericis tuentibus iudicium directum semper esse necessarium.

N. 3. Addo, quod nulla sit peculiaris difficultas contra iudicium reflexum de æquali, immò minori probabilitate, quæ non oriatur ex licito usu opinionis probabilis, quas tamen difficultates satis diffusè solvimus supra. Quod si licet sequi iudicium directum subjective minus probabile practice, licebit quoque sequi reflexum de objectiva minori

probabilitate practice: si verò illud non licet, nec hoc. Similiter, si licet sequi iudicium directum subjective practice probabilius, licebit quoque sequi reflexum de objectiva practice probabilioritate: si verò illud non licet, nec hoc: ergo nulla est peculiaris difficultas contra iudicium reflexum de minori, aut æquali objectiva practice probabilitate, quæ non oriatur à licito usu opinionis minus, aut æquè practice probabilis subjective.

SECTIO I.

Authoritates pro tertiâ, & quartâ conclusionem, relatâ Disp. 21. sectione 2. §. 1.

§. I.

Ex mente Pontificum, & Cesarum.

SUMMARIUM.

Adrianus ex solo iudicio de probabilitate opinionis opposita processit ad solutionem matrimonij, n. 4.

Non formavit iudicium directum de veritate opposita opinionis, n. 5. 6.

Si formavit, tanto magis urgentur Contrarii, n. 7.

Si necessarium est iudicium directum, sequitur, quod Adrianus minus probabilis assensus sit, n. 8.

Adrianus videtur sub solo iudicio reflexo de probabilitate minori opposita opinionis, unum cum directo de falsitate ejusdem, processisse, n. 9. Ecclesia, & Pontifices laudant utramque contradictoriam sepe ut probabilem, n. 10. Sixtus IV. & V. & Urbanus VIII. recurrunt ad solam probabilitatem objectivam, ibid. Ex

Ex iure Canonico ignorantia probabilis excusat, n. 11. & 12.

Referuntur aliquae opiniones contradicitoriae, quas

Pontifices vocant probabiles, n. 13.

Ius Civile ad solam verosimilitudinem, aut com-

munitatem opinionis appellat, n. 14. 15.

Opinio communis habetur pro lege, ibid.

Excusat, ibid.

Iurista appellant ad iudicium reflexum de pro-

babilitate, n. 16.

Utique ius exigit certitudinem, ut quis te-

neatur stare lege, n. 17.

Nulla datur lex certa obligans ad iudicium di-

rectum, ibid.

babili de veritate.

Sed contra 1. quia jam ex hoc habeo, N. 6.

quod licet sequi iudicium directum, tamen minus probabile de veritate, quod a Probabilioris negatur.

Contra 2. quia Adrianus non formavit iudicium directum de veritate opinionis Caietani, quam falsam putavit, & falsam putans processit ad matrimonii solutionem, ergo vel tunc processit ad licitam solutionem, si pensio omni iudicio directo de veritate opinionis Caietani, & formato solo reflexo de eius probabilitate, & quidem minori; vel si aliquod directum concepit iudicium, non fuit de veritate, sed de falsitate opinionis Caietani; ergo si Pontifici licitum fuit operari sub iudicio evidenti de objectiva, & quidem minori probabilitate veritatis opinionis Caietani; quin, si illi licitum fuit operari sub eo iudicio reflexo unito ipsi iudicio directo subiective sibi, etsi minus probabili de veritate opinionis Caietani, multo magis licebit operari, vel sub solo reflexo (unito, aut separato ab omni directo) de aequali probabilitate, vel operari sub solo reflexo diviso ab omni directo.

Contra 3. quia Adrianus, dum matrimonium solvit, vel assensus fuit directe probabilius suae opinioni neganti se posse solvere, vel assensus fuit directe soli opinioni Caietani subiective sibi minus probabili affirmanti se posse solvere; vel simul, & semel directe assensus fuit utrique opinioni contradicitoriae; vel neutri directe assensus fuit. Si hoc ultimum dicatur, habeo intentum, quod suspensio omni iudicio directo subiective probabili de opinionis veritate, licitum erit operari sub solo iudicio evidenti reflexo de objectiva probabilitate. Si dicatur tertium, dicetur chimera, implicat enim simultanea coexistentia duorum assensuum, etsi subiective probabili, ad invicem contradicentium. Si dicatur secundum, dicatur, quod Adrianus iudicaverit veram opinionem Caietani, sibi minus probabilem; quod a Probabilioris dici non potest; immo, quod iudicaverit veram, quam iudicabat falsam, quod implicat in terminis. Si dicatur primum, dicatur longe plus, quam modo petimus; dicatur enim, quod Adrianus sub iudicio reflexo de objectiva minori probabilitate veritatis opinionis Caietani, stante simul iudicio directo sibi subiective probabili de veritate propria, adeoque de falsitate alienae, processit ad licitam solutionem. Longe autem plus est hoc, quam unice concedere licitum operari sub solo iudicio reflexo diviso ab omni directo de veritate

N. 4. Primus est Adrianus 6. cui cum supplicatum fuisset, ut matrimonium ratum dissolveret, eique dictum fuisset, quod Eminent. Card. Caietanus in ea erat opinione, ut iudicaret Papam posse illud dissolvere, Adrianus respondit, se dare, quod posset, se tamen credere, quod nihil posset, ut narrat P. Rebellus *part. 2. lib. 1. qu. 15. sect. 3. n. 4.* Ecce tria in hoc textu evidenter. Primum, quod Adrianus ad matrimonii solutionem processit ex iudicio certo de probabilitate opinionis Caietani; & quidem de minori probabilitate, nam propria opinio erat Adriano probabilior; ergo licet operari sub iudicio evidenti de certa, etsi minori, probabilitate veritatis opinionis. Secundum, quod Adrianus suspendit iudicium directum de veritate opinionis Caietani; quin immo habuerit iudicium directum de eius opinionis falsitate; etenim opinionem Caietani, iuxta quam operatus est, iudicabat falsam, iudicabat enim se non posse dissolvere, simul tamen iudicabat probabilem; ergo non tantum licet operari sub iudicio reflexo de minori probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni directo de eius veritate, quin praesente iudicio directo subiective probabili de falsitate opinionis. Tertium est, quod haec omnia licite praestiterit Adrianus; nemo enim, nisi excors sit, dicit Adrianum peccasse mortaliter dissolvendo matrimonium ex iudicio reflexo de objectiva, etsi minori, certa tamen probabilitate de veritate opinionis Caietani, quam putabat falsam.

N. 5. Dices Adrianum suspendisse tunc iudicium directum subiective sibi probabilius de veritate propriae opinionis stantis pro non possibilitate dissolutionis matrimonii; & concepit iudicium directum subiective probabile de veritate opinionis Caietani stantis pro solutione matrimonii; ergo operatus est sub iudicio directo subiective pro-

- ritate propriæ, & falsitate alienæ.
- N. 8. *Contra 4.* quia Adrianus, vel suspendit omne prorsus iudicium directum de veritate propriæ, & falsitate alienæ; & de veritate alienæ, & falsitate propriæ, vel non? Si suspendit; ergo habeo, quod hic unice intendo, nempe sub solo iudicio reflexo de certa probabilitate veritatis opinionis Adrianum licite operatum; si non suspendit; quæro, quod iudicium directum conceperit? an iudicium subjective probabile de veritate opinionis Caietani? & tunc Probabiliorista dabunt, quod Adrianus licite assensus sit opinioni directæ sibi minus probabili, eamque prudenter iudicaverit veram: an iudicium directum subjective probabile de falsitate opinionis Caietani? & tunc dabunt, quod non tantum liceat operari sub iudicio evidenti reflexo de objectivâ minori probabilitate, suspendo omni directo subjective minus probabili de veritate opinionis, quin dabunt, quod liceat, stante etiam iudicio directo subjective probabili de falsitate opinionis. Rursus, an habuit iudicium directum subjective probabilius de veritate propriæ? tunc autem, cum idem æquivalenter sit iudicium de veritate propriæ, ac de falsitate alienæ, sequitur, quod modo dixi, quod cum iudicio reflexo de objectivâ minori probabilitate veritatis opinionis alienæ, stante simul cum iudicio directo subjective probabili de veritate propriæ, seu quod idem æquivalenter est, cum iudicio directo subjective probabili de falsitate alienæ, Adrianus licite operatus sit. An habuit iudicium directum subjective probabile de veritate alienæ? hoc autem dici non potest, tum quia est contra textum, in quo dicitur, quod Adrianus iudicaverit se nihil posse; ergo iudicavit opinionem Caietani esse falsam: tum quia est contra Probabilioristas negantes physicè, & multo magis licite nos opinari, & operari posse juxta minus probabilem, stante probabiliore.
- N. 9. Confirmo: Adrianus licite solvit matrimonium, nemo enim mortalis peccati eum dampnare audebit: ergo solvit sub iudicio certo de probabilitate opinionis Caietani, quam simul falsam putabat: ergo ad licite operandum satis est reflexum iudicium certum de objectivâ probabilitate veritatis, et si unitum iudicio directo subjective probabili de opinionis falsitate, & suspendo omni directo de veritate: ergo multo magis satis est illud idem iudicium reflexum divinum ab omni iudicio directo subjective probabili, tum de veritate, tum de falsitate opinionis, juxta quam quis operatur. Aliam

Adrianum doctrinam infra dabo.

Secundus est Sixtus IV. & V. ut notavi N. d. 11. a num. 124. ad 128. & num. 186. immo plures Pontifices, & ipsa Ecclesia approbat sæpe ut probabilem utramque opinionem contradictoriam; & duplicem doctrinam, & libros inter se contradicentes: & quamvis Pontifex unam tantum iudicet veram, & sibi probabiliorē, adhuc tamen permittit, laudat, & consulit aliam ut in praxi tutam. Quæro autem, quid permittat, laudet, & consulat? non utramque ut veram, evidenter enim licet hoc implicare; ergo utramque ut probabilem, seu certam utriusque probabilitatem consulit, & laudat: ergo objectiva veritatis probabilitas præcisa à veritate est digna laude, & honesta; ergo satis ad honeste operandum. Etenim ea probabilitas satis est ad honeste operandum, & opinandum quæ à supremo Ecclesiæ Capite laudatur, & approbatur: sed dum laudatur utraque contradictoria probabilis, non laudatur subjectiva probabilitas, seu veritas probabilis, sed objectiva probabilitas, seu probabilitas veritatis; ergo hæc satis est ad operandum. Minor probatur, tum quia implicat, ut utraque contradictoria, etsi probabilis, sit vera; tum quia implicat, ut utraque sit subjective simul in eodem intellectu; non autem implicat, ut utriusque contradictoriæ probabilitas objectiva sit in mente Papæ laudantis: ergo quod Papa laudat, est probabilitas objectiva veritatis opinionis: ergo objectiva probabilitas satis est ad laudabiliter, adeoque honeste operandum. In idem recidit, quod d. 11. j. 8. n. 176. dedi ex Urbano VIII. qui petenti dispensationem respondet utendo reflexâ negativâ, non videri sibi necessariam; ex quâ responsione petentes dispensationem interesse potuerunt, licitum sibi eâ non habita operari.

Tertius est in Cap. Apostolice 9. de Cler. Err. N. com. ubi habetur: *Perum quia tempore suspensionis ignari celebrastis Divina, vos redit ignorantia probabilis excusatos. Ceterum si forte ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit propter quod gratiâ dispensationis egeretis, eam vobis de benignitate Apostolicâ indulgemus.* Ecce 1. quod ignorantia probabilis excuset. Ecce 2. quod Papa ignorantiam probabilem opponit crassæ, & culpabiliter vincibili; atque adeo ignorantia probabilis juxta Pontificem coincidit cum invincibili, nam eam opponit crassæ, & culpabiliter vincibili. Ecce 3. quod si ignorantia probabilis excuset, multo magis certum de eadem iudicium excuset: ergo sicut, juxta Papam, non est necessarium ignoran-

ignorantia sit probabilior, sed satis ut sit probabilis, ita neque necesse est, ut iudicium sit de probabilioritate, sed satis de probabilitate.

N. 12. Quartus est ex cap. 4. de Sent. Excom. ubi legitur hoc Papæ responsum: *Si quis in Clericum nutriendum comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico presentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit.* Ecce 1. posita ignorantia probabilis, quod talis homo comam nutriet, & ideo ignoraretur, quod esset Clericus, dicit Pontifex, quod iniiciens manus violentas in illum non incurrit excommunicationem: ergo, juxta Pontificem, ignorantia probabilis excusat à sacrilegio, adeoque ab excommunicatione, quæ tunc sine sacrilegio non incurritur. Ecce 2. non dicit Pontifex, si probabiliter iudicaverit non esse Clericum, sed dicit, si esse Clericum ignoraverit, quod formaliter sumptum significat suspensionem iudicii probabilis, & supponit reflexum cadens supra iudicii directi omissionem; nempe certum mihi est, quod ignoro esse Clericum; non autem iudico non esse Clericum: ergo iudicium reflexum de ignorantia probabilis, seu de omissione iudicii directi probabilis excusat.

N. 13. Quintus est ex cap. Capellanus 4. de Ferijs, ubi dicitur unam opinionem esse potius aliam, nempe quæ meliori nititur rationi. Et in cap. cum Martha de Celebratione Missarum §. quasi si, relatis tribus sententiis de conversione aquæ cum vino in sanguinem Christi D. affirmantem vocat probabiliorē, & nullam damnat, ut notat Glossa. Et in cap. Litteras 13. de Restit. spol. relatis duabus opinionibus dicit se nullam damnare. Et in Clementinā de Summā Trinitate in fine, sententiam tuentem, quod parvulis, & adultis gratia sanctificans, & virtutes in Baptismo conferantur, vocat probabiliorē, nec damnat oppositam. Ecce 1. quod damnanda esset, immo damnata esset eo ipso minus probabilis, si vera est doctrina Neotericorum, quod sola probabilior sit probabilis, & quod omnis minus probabilis non sit minus probabilis. Ecce 2. Jus Canonicum nihil prorsus dicit de veritate opinionum, quas refert, sed unice fert iudicium de solā probabilitate, aut probabilitate, immo de minori probabilitate, quam eo ipso, quod non damnat, permittit: ergo ex iure Canonico ut licite opinemur, & operemur, satis est solum reflexum de probabilitate, aut probabilitate iudicium. Vide Bordonum de opinione probabilis à n. 80. ad 93. & cap. 14. n. 49. le-

ges acutum, sed forte exorbitans ejusdem Authoris contra M. Mercor. lemma, vocantem Probabilitas, Angelos tenebrarum ait enim Bordonus: Non mirum si quæ de delectu ciborum asserit Tridentinum, non intellexerit post prandium.

Tandem audiendi sunt Casares in iure N. Civili; etenim l. in his 5. ff. de solutione, agens de debitorum solutione ait: *Post hunc ordinem, potior habebitur propria, quam aliena causa, veluti fideiussoris. Quod veteres ideo definierunt, quod verisimile videretur diligentem debitorem admonitum, ita negotium suum gesturum fuisse.* Ecce jus Civile ad puram objectivam verosimilitudinem appellat.

Idem convincitur, quoties jus Civile ad N. opinionem communem appellat, adeo ut solum iudicium reflexum de communitate opinionis, etsi separatum à directo de veritate opinionis communis, satis sit ad operandum. Hinc opinio communis habetur pro lege, ut constat ex cap. Veniens. de verb. signific. & ex Jafone in L. pen. Codice de Pañtis, & ex Surdo decis. 229. & ex Rotā decis. 94. n. 10. & ideo dicitur, quod à comuni opinione non sit recedendum, aut sine lege, aut sine efficaci ratione, ut docent Navarr. P. Azor 1. part. lib. 2. cap. 17. qu. 6. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 9. Rotā part. 5. decis. 122. Similiter dicitur, quod opinio communis excuset, & licitum faciat, L. Siquis 3. ff. ad Senat. ergo iudicium reflexum de objectivā communitate opinionis, etsi quis omne directum de ejus veritate iudicium suspendat, ne materialiter erret, juxta utrumque jus satis est.

Accedit dictum in iure satis celebre, ubi dicitur: *Credendum est paucioribus verisimiliora deponentibus melius informatis, quam pluribus, quibus dictæ qualitates desunt, ut ait Bordonus tom. 5. in Praxi Crimin. cap. 32. n. 4. ex Farinacio, & aliis; immo magis mortuis, quam vivis, ait Farinac. qu. 65. n. 190. & Bordon. n. 48.* Ecce Juriste, & Theologi appellant ad iudicium reflexum de majori probabilitate pauciorum melius informatum: per hoc autem, quod jus dicat, *credendum*, non obligat credere directe esse verum, quod illi dicunt; sed satis est, ut credam certo eos cum maiori verosimilitudine loqui, præcendendo à iudicio de veritate ab illis asserta.

N. Demum huc facit, quod habet tum jus Civile, L. 1. Cod. de Mandat. Princ. Si quis aſſerat cum mandatis nostris secretis se venisse; omnes sciant nemini quidquam, nisi, quod scriptis probaverit, esse credendum. Tum jus Canonicum cap. Cum in iure. de Officio

Officio Judic. Deleg. Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiterit, exequi non teneris, quod mandatur. Ecce 1. utrumque jus præcepti certitudinem requirit, ad hoc ut quis parere teneatur; quod ipsum nos expresse docuimus dicendo, quod lex, nisi certa sit, non obliget. Ecce 2. quod si requiritur certitudo, ut teneat obedire, requireretur quoque certitudo legis obligantis ad assensum directum veritatis, ut teneat directe assentiri: sed hæc lex ab Adversariis non trahitur: ergo non teneor ad assensum directum; nam ex utroque jure non teneor lege, nisi hæc certa sit; ergo non teneor ad judicium directum; immo cum sola probabilitas sit certa, non autem veritas, hinc est, quod potius tui judicio reflexo de certâ probabilitate veritatis, quam judicio directo incerto de veritate niti debeo, dum operandum est.

§. II.

Ex mente D. Augustini, & D. Thomæ.

SUMMARIUM.

- S. Augustinus contentus est solum de probabilitate ferre judicium, n. 18.
 S. Thom. ait, satis esse conjecturalem probabilitatem, non dicit veritatem, n. 19.
 S. Hieronymus nititur soli judicio de probabilitate, n. 20.
 Judici satis est judicium reflexum de probabilitate reatus, n. 21.
 In pluribus materiis non datur minus probabilis, n. 22.
 S. Thom. insert tutum esse eligere bonum, quia lex de eligendo meliori Prælati Regulari non conceditur ab omnibus, n. 23. 24.
 Hoc autem, quia judicat probabilem opinionem contrariam sue iuentem satis esse, ut eligatur bonus, ib.
 Solvit argumenta per probabilitatem opinionis opposita, ib.
 Conjungit cum veritate propria judicium reflexum de objectivâ probabilitate alienæ, ib.
 S. Thom. sæpe vocat probabiles opiniones oppositas propriæ, quia tunc tales erant, ait M. Soto, n. 25.
 Quid S. Thom. hodie diceret de principio Anti-Probabilistarum, quod nulla opposita propria sit probabilis, ib. & n. 26.
 Falsum omnino juxta S. Thom. est, quod sola probabilior sit probabilis, sola tutior sit tuta, n. 27.
 S. Thom. solo judicio reflexo de opinionis tutioritate contentus est, n. 28.
 Opinio, quod Missa pro sit damnatis, est hodie antiquata, à n. 25. ad 29.
 Si licet in materiâ speculativâ ad solum refle-

xum judicium de probabilitate appellare, etiam in practicâ, n. 29.

Mira D. Thomæ modestia, n. 30.

Resolvit per solum judicium reflexum, an aqua frangat jejunium naturale, ib.

Utitur solo judicio reflexo, quod non judicet expetere, ut quis specificet peccata, si ea examinando delectetur in illis, n. 31.

Plures dedi textus ex S. Aug. d. 11. scilicet 1. §. 3. necnon ex S. Thom. ibid. quibus remitto Lectorem. Vnum tantum rogo, ut consideret, quod S. Augustinus relatâ duplici opinione, unâ tueri licitum in die Cœnæ Domini homini non jejunio Eucharistiam sumere, (quæ tamen opinio, hodie antiquata, rejecta est, ut falsa) alia negante licere, ait S. D. se nulli contradicere, contentus solum de utriusque probabilitate ferre judicium: idem præstat loquendo de quotidiana communione; utramque tam affirmantem, quam negantem approbat ut probabilem; & nullam ut veram; & requirit cuique, ut sequatur, quam maluerit, dicens, quod quilibet honeste operabitur; sed non ex judicio veritatis, quia omne judicium directum suspendit; sed ex reflexo probabilitatis; ergo hoc satis est ad honestam operationem.

Accedo ad S. Thom. omittis locis, quæ dedi d. 11. à n. 21. alia asserens. Primus textus est ex 1. 2. q. 105. art. 2. ad 8. ubi obijciens sibi, quod non sit rationi consona lex Dei Deuteronomij 19. asserens, standum duobus, aut tribus testibus, quia non tantum duo, vel tres, sed etiam plures mentiri possunt, ait: Dicendum, quod in negotiis humanis non potest haberi demonstrativa probatio, & infallibilis, sed sufficit aliqua conjecturalis probabilitas, secundum quam Rhetor persuadet.

Ecce 1. S. Thom. non dicit, sufficit conjecturalis veritas, aut probabilis veritas, sed conjecturalis probabilitas: ergo sufficit evidens judicium de probabilitate.

Ecce 2. ut rectè præclarus Salmantinus Vniversitatis Doctor, P. Franc. Solis, ex Fens Ordine Redempt. Captiv. in Censurâ præliminari ad Dissertat. Theologicam de Probabilitate editam à Doctore Franc. Perca: Si de in materiâ justitiæ, & in ferendo judicio, à quo grave passim damnum oriri potest, D. Thomas contentus est, ut Judices conjecturali probabilitate procedant, et si in materiâ justitiæ usus opinionis minus probabilis non liceat, quin Judices tenentur ad probabiliorrem, sicut Ministri Sacramentorum ad tutiorem, eo ipso non est opus tanta judicii firmitate, & claritate, ut in illo manifesta veritas